



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Biennii Peripatetici

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

Kretz, Marquard

Herbipoli, 1749

Articul. IV. An scientia, fides, & opinio stare simul possint in eodem intellectu, circa idem objectum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52248)

ctus in ratione circuli ; sed non in ordine ad probationes.

ARTICULUS IV.

An Scientia, Fides, & Opinio stare simul possint in eodem intellectu, circa idem objectum?

611. **N**Ota. *Certum est* 1. quòd scientia in eodem intellectu circa idem objectum stare non possit cum ignorantia ; hæc enim est carentia scientiæ. *Certum est* 2. quòd scientia stare nequeat cum actu erroris ; quia hic directè opponitur scientiæ, utpote infallibili, & imperturbabili. *Certum est* 3. scientiam non stare cum formidine actuali, quæ perturbabilis est, & actu cogitat rem fortè aliter se habere. *Certum est* 4. scientiam stare non posse cum dubitatione, quæ est actus hæsitans, & repræsentans neutram contradictionis partem ita probari, ut uni præ altera sit adhærendum ; igitur suspendit tam assensum, quàm dissensum ; cum econtrà scientia sit assensus certus, & evidens. Præterea hinc notandum, quòd *Fides* sit assensus ob authoritatem loquentis : si authoritas sit hominis, erit fides humana ; si divina, fides quoque divina erit. Hæc ultima de se obscura est ; quia teste Apostolo *Fides est argumentum rerum non apparentium* : Obscuritas tamen fidei non est *privativa*, quasi nullam omninò diceret claritatem ; sed *præcisiva* tantùm h. e. Fides dicit aliquam claritatem, sed non omnimodam. *Opinio* est assensus ob motivum probabile. De hujus essentia est formido, non quidem *actualis*,

lis, de qua paulò ante diximus; sed *radicalis*: quando nimirum intellectus actu non formidat, posset tamen formidare, si se reflecteret. *Status questionis* est: An, ex supposito, quòd plures cognitiones ab intellectu elici simul possint, an, inquam, idem objectum ex diversis motivis possit simul scire, credere, & opinari?

612. *Dico*. Actus scientiæ, Fidei & Opinionis stare simul possunt in eodem intellectu circa idem objectum. Ita S. Thomas in 3. Dist. 13. q. 2. a. 1. ubi ita ait: *Opinio, & scientia quamvis sint de eodem, non tamen secundum idem medium, sed secundum diversa, & ideò possunt esse simul.* S. Bonav. Molin. Ovied. &c. *Ratio est*: Quia ex nullo capite est repugnantia. *Non ex parte intellectus*; hic enim supponitur posse habere plures actus simul, & cæteroquin per se capax est Scientiæ, Fidei, & Opinionis. *Non ex parte objecti materialis*; hoc enim ex diversis motivis à variis intellectibus judicari potest, cur non ab uno? *Non ex parte objecti formalis*, quod est motivum cujusque actus: Nam objecta formalia horum actuum de eodem objecto materiali intellectui proponi possunt; cur non valeant ad actus sibi correspondentes movere? *Non ratione ipsorum actuum*, qui sibi non opponuntur *contrariè*, ut scientia, & error, nec *privativè* aut *contradictoriè*; Nam *Fides* non negat omnem claritatem, nec *Opinio* omnem certitudinem, ut *suprà* jam insinuatum est. *Confirmat* hanc thesin praxis scholarum, quæ suas plerumque conclusiones probant argumentis certis, & evidentibus, iisque

iisque admiscant rationes probabiles, vel ab intrinseca Doctorum autoritate depromptas; quod rejectâ hâc thesi superfluum foret, ac inutile.

613. *Obj. 1.* Opinio parit incertitudinem; ergo de ejus ratione est formido actualis. *R. D. ant.* Parit incertitudinem *privativè* sumptam. *N.* præcisivè sumptam. *C.* vide n. 611. *Inst. 1.* Scientia parit certitudinem positivam, & actualem; ergo Opinio e contra parit incertitudinem positivam, & actualem. *R. N. Conf. Disp. est;* quia actus scientiæ nititur ipsa infallibilitate; e contra opinio non nititur ipsa fallibilitate, sed ratione probabili; aliàs quòd plura essent motiva probabilia, eò fallibilior, & incertior redderetur actus, quod est contra experientiam. *Inst. 2.* Opinio excludit scientiam; ergo nullo modo componi potest cum scientia in eodem intellectu. *R. D. ant.* Excludit scientiam ex suo motivo. *C.* ex eodem intellectu. *N.* *Inst. 3.* Si opinio in eodem intellectu compateretur secum scientiam; ergo idem intellectus esset certus, & incertus; firmiter adhereret eidem objecto, & non adhereret &c.; sed hæc dici non possunt; ergo. *R. D. Maj.* Esset certus, & incertus &c. respectu ejusdem motivi. *N.* respectu diversorum. *Subdist.* & incertus &c. *privativè. N.* incertus *præcisivè. C.* *Inst. 4.* Effectus primarius opinionis est, reddere intellectum *privativè* incertum; ergo. *R. N. ant.* Sed effectus primarius opinionis est, quòd denominet intellectum assentientem objecto ex motivo probabili, quæ denominatio non negat certitudinem. Reddere autem intellectum formaliter incertum, & dubitantem, est effectus tantum secundarius

opi

opinionis. *Si quæras*: Cur ergo opinio non tribuat hunc effectum secundarium? R. Quia motivum scientiæ impedit intellectum, ne se reflectat supra motivum probabile, eliciatque actum, quo judicet *absolutè*, objectum aliter se habere posse. *Si postules porrò*: An intellectus cognoscat motivum opinionis esse fallibile, vel non? R. non cognoscit *reflexè* esse, fallibile, saltem *necessariò*; sed cognoscit *exercitè*. Adde, quòd, si etiam *reflexè* cognosceret, nondum tamen formidaret actu, ut Maurus & alii defendunt, propterea quòd præsens motivum scientiæ formidinem hanc impediret. *Inst. 5.* Voluntas prosequens bonum, quod malum admixtum habet, ita prosequitur bonum, ut ipsi simul displiceat malum, ergo à pari. R. N. *Conf. Disp. est*: Quia malum ut malum est verè odibile à voluntate, & respectu illius verum malum; Opinio autem non est malum respectu intellectus, sed habet se ut minùs bonum. *Inst. 6.* Saltem præsentem motivo scientiæ motivum opinionis nihil operabitur. R. T. Exinde nondum sequitur, quòd opinio repugnet scientiæ. *Si ais*: Lux cerei nihil operatur sole meridiano; ergo nec opinio aliquid operatur præsentem scientiâ. R. N. *Conf. Disp. est*: Quia lux cerei, & lux solis supponuntur, esse ejusdem rationis. Econtrâ motivum scientiæ, & motivum opinionis ejusdem rationis non sunt; adeoque opinio alium effectum in intellectu producit.

614. *Obj. 2.* Idem objectum nequit esse clarum, & obscurum, absens, & præsens &c. ergo saltem circa idem objectum in eodem intellectu
ne-

nequit stare scientia & fides; nam Fides est obscura, & argumentum rerum non apparentium, alia verò prædicata scientiæ conveniunt. *R. D. ant.* Respectu ejusdem motivi. C. Respectu diversorum. N. *Ad rationem R. N.* quòd fides sit positivè obscura &c. In ejusmodi argumentis loquere, sicut suprà locuti sumus de scientia, & opinione. *Si ais:* S. Chrysost. inquit: *Si fides est eorum, quæ non videntur, quid vultis ea videre, ut excidatis à fide;* ergo. *R. D. ant.* Quid vultis videre ea &c. sic, ut ratio videndi, sit ratio credendi C. secus. N. Motivum enim scientiæ, nequit esse motivum fidei.

615. *Reflexio I.* Scientia, Fides, & Opinio non opponuntur sibi privativè, sicut *Lux*, & *Tenebræ*, nec contrariè, sicut *Albedo*, & *Nigredo*, sed sunt actus sibi invicem subordinati sicut *vivens*, *sensitivum*, *animal*. II. Fides etiam in consortio scientiæ est libera adhuc, & meritoria ex motivo proprio. III. Intellectus in tali casu dicitur simpliciter certus, quia motivum scientiæ prævalet.

ARTICULUS V.

An idem actus possit esse Scientiæ, Fidei, & Opinionis?

616. **N**ota. Status quæstionis non est, an tres actus distincti realiter, quorum unus sit actus fidei, alter opinionis, & tertius scientiæ coalescere ita possint? ut ex tribus his actibus fiat actus unus; sed an tria Scientiæ, Fidei, & Opinionis motiva, quæ aliàs distinctos effici-

cerent